

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,*
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ tertiâ menſis Decembris, anno Domini M. DCC. LXII.

SIMONE VACHER, Doctore Medico, Præſide.

An refuſa in ſanguinis alveum Pinguedo cedat in Corporis nutrimentum?

I.

SIC à naturâ comparatum eſt Corpus humanum, ut perpetuo fluxu difflentur & avolent illius liquida, ſolidæ vero partes deterantur ſenſim & abradantur. Hinc brevì tota machina corrueret, penitúſque fatiſceret, niſi perpetuâ novi acceſſione pabuli foveretur citò labentis vitæ flammula. Quamdiù molles adhuc & tenellæ fibræ motui cordis & arteriarum ſuccum nutritium impellenti obſecundant, tamdiù in omnem dimenſionem augetur corpus, & eſt accretio. Si verò jam ad ἀκμὴν

* *OLIVARIO BOUGOURD. Auctore, 1733.*

pervenerit, neque facilè cedant firmatæ partes, tunc solummodò nutriri dicitur. Cave tamen existimes quamlibet materiam seu augendæ, seu reparandæ Corporis nostri substantiæ esse idoneam. Quantula pars ingestorum alimentorum huic muneri par efficitur! Quot & quàm variis agitanda & versanda modis quæcumque *molecula* in Corporis nutrimentum destinatur! At quoquo modo misceantur, terantur, Vasorum oscillationibus diverberentur humores, qui fluunt in Arteriis & Venis, nondùm tamen jure dixeris nutritios, nisi ejus sint indolis, ut in substantiam nostram facessere valeant.

II.

NUTRITIONIS opus quo pacto absolvatur, attentus considera. Perpende quantâ curâ provideat sedula parens Natura, ne quid sibi minùs consentaneum admittat. Chylum perennandæ vitæ dicatum fomitem, ope digestionis in Ventriculo inchoatum, in duodeno deindè perfectiùs elaboratum excipiunt exigua Vasorum lacteorum orificia. Tùm varias ille trajiciendo glandulas, magis ac magis attenuatur, lymphâque simul permixtâ diluitur. Demùm ex communi receptaculo canalem Thoracicum ingressus in patentem Sanguinis alveum transfunditur. Ibì cordis & arteriarum impulsu quassatus & agitatus, Vasorumque *pulmonalium* pressioni commissus partim in globulos effingitur, partim *gelatinosam* formam induit, partimque serosus remanet. Quorsùm hæc omnia? ut partes ad nutriendum idoneæ à cæteris expeditæ & sejunctæ jugiter avolantes particulas supplere possint. Sic enim præparatus & sui juris factus nutritius humor arteriolarum lateralium *poros* subit, ultimorum Vasculorum parietibus adhærescit, spissescens agglutinatur, & in propriam Corporis substantiam convertitur. Sic aut eadem perseverat Corporis moles, aut etiam in majus excrescit.

III.

SI consuetis defraudetur aliquandiù Corpus alimentis, nec, quas patitur indesinenter, jacturas resarciat; primùm exhalantur fluidiores particulæ. Tùm solidæ sensim deteruntur, augustantur Vasa, cutis frequentibus sulcata rugis flaccessit. Nimirùm pinguedo & succi, quibus fibræ turgebant, paulatim in Sanguinis massam refluunt, penitùsque dissipantur. Num dubitas pinguedinem refluere? Attende morbo tentatum corpus quàm celeriter emacrescat; observa Sanguinem in Venis *unctuosum* esse magis quàm in arteriis, urinisque Tabidorum pinguedinis guttulas innatantes manifestò conspici. Hæc autem reflua materies, quò sæpiùs motu circulari abripitur, acrioribus & salinis, quibus tunc Sanguis redundat, partibus magis magisque attenuatur & per cutis *poros* avolat. Undè tunc temporis crassiori & fœtidiori sudore squallida cutis est. Sed fac leniori motu circumferri pinguedinem, nequaquam tamen in fibras, membranas, musculos concrescere poterit, nec in Cartilagines & Ossa indurari. Non eam quippè *ductilitatem* acquirere valet, quæ necessaria est, ut in has partes solidescat. Conferatur enim cum lymphâ, quam veram ac genuinam esse nutritionis materiem omnes agnoscunt & fatentur. Hanc si calori exposueris, difflatâ tenuiori & aquosâ parte,

quod residuum superfuerit, jam ductile, jam *filamentosum* ac propè membranaceum erit. Pinguedo, si eodem modo tractata fuerit, jam tota fusa magis ac magis liquescet, nedum concrescat.

IV.

DUM corpus benè constitutum, nec fibris donatum rigidioribus cibis pascitur euchymis, nec duro labore frangitur, neque curis aut animi mœrore conficitur, maximam tunc pinguedinis molem cumulat. Quid ita? Pars oleosa sanguinis placido motu circulantis, cùm redundet, appellendo ad membranam adiposam in ejus sacculos deponitur. Non unâ in parte tantùm reperitur ejusmodi membrana. Proximè cuti subjecta totum ferè corpus obvolvit. In intimas etiam cavitates usque penetrat eadem non interrupta; cùm flatus in eam immissus interiores quoque simul distendat. Omentum verò præcipuum videtur secretæ pinguedinis receptaculum. Hoc viscus duabus constat lamellis tenuissimis, quas mille complicatæ modis arteriarum & venarum propagines perreptant, innumerisque distinguunt areolis. Nec absimili membranâ vestiuntur etiam internæ ossium cavitates, in quibus pinguedinis species quædam Medulla dicta secernitur. Hæ membranæ plurimis constant cellulis in se invicem hiantibus, in quas ex ultimis arteriarum finibus exsudat adiposa substantia. Hæc per morbum aut inediam uberiùs in sanguinem per venarum capillamenta resorbetur. Neque enim verisimile est dari peculiares ductus, quos observasse sibi visus fuerat Malpighius (1), cùm eos ipse posteà in dubium revocaverit (2), nec admittendos censeant recentiores Anatomici (3). Non tamen ideò refunditur in venas, ut partes absumptas reparet. Corporis enim solidæ partes lymphâ nutriuntur, à quâ originem ducunt, & in quam facilè resolvuntur. Carnes simplici coctione in pultem *gelatinosam* & lymphæ spissioris æmulam, non in pinguedinem abeunt. Quin & ossa vel durissima ope machinæ Papinianæ in eandem ferè substantiam facessunt. An igitur corpus humanum eâ parte constet, quam non reddat simplicior analysis?

(1) *Exercit. de omento, &c.*
(2) *In oper. posthum.*
(3) *Morgag. adv. Anat. Heist. comp. Anat.*

V.

NON tamen sine consilio certis in partibus copiosiorem pinguedinem congessit Natura sagax & provida. Hanc oleosam substantiam grandiorum ossium cavitatibus indidit, quâ hæc emollita & lubricata obviorum corporum incursu minùs facilè frangerentur. Eam quoque variis musculis interstravit, uti forent ad omnes motus flexiliores. Hac eadem totum Omentum scatere videas, tùm ut bili constituendæ inserviat, tùm ut certa ejus portio venam cavam ingressa per universum corpus assiduo circuitu feratur. Enimverò pinguedinis globuli sanguini supernatantes tùm in arteriis (1), tùm in venis (2), observantur. Quòd nisi res ita se haberet, jam soluta sanguinis compages extricatis salium spiculis, partes nervosas ac membraneas permolestè lancinaret, undè malorum uberrima scaturigo, uti videre est in Phthisicis. Undè enim tam citò emaciantur & contabescunt, nisi quia illorum sanguis partibus oleosis, quibus irretiuntur ejus principia, ferè orbatus,

(1) *Morgag. adv. Anat. I.*
(2) *Malpig. de omento, &c.*

membranas omnes mordet, pungit, vellicat. Tunc autem si quid pinguedinis in facculis adiposis coacervatum fuerit, illud brevi liquatur & solvitur, ut in sanguinem refusum ejusdem acrimoniam contemperet ac retundat. Nec alia ratio afferri potest, cur istis in casibus ægrotos tantoperè juvent pinguia & oleosa. Hæ sunt adipis dotes, hi sunt usus. Ossium medulla ab reliquâ pinguedine non-nisi majori tenuitatis gradu discriminari videtur. Iisdem subjacet vicissitudinibus, nec pro variis Lunæ *phasibus*, juxtà vulgi opinionem, sed pro majori aut minori corporis exercitio, lautioribus vel durioribus cibis, augetur & minuitur. Nec ossibus nutriendis impenditur, ut crediderant Hippocrates & Galenus. Dantur enim vasa sanguifera, quæ internæ ossium substantiæ succum nutritium impertiantur (3), quemadmodum & in reliquis partibus.

(3) *Mém. de l'Acad. des Sciences. ann.* 1700.

Ergò refusa in Sanguinis alveum Pinguedo non cedit in Corporis nutrimentum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Carolus Franciscus Theroulde de Vallun, Eques.

M. Anna Carolus Lorry.

M. Bernardus Nicolaus Bertrand.

M. Stephanus Ludovicus Geoffroi, Societatis Botanicæ Florentinæ Socius.

M. Dionysius Pautier de la Breville, S. S. Delphini & Delphinæ Medicus primarius designatus.

M. Natalis Andreas Joannes Baptista Chesneau.

M. Carolus Payen.

M. Tussanus Gilbertus Boulland, Consiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Castelleto.

M. Gaspardus Cochon du Puy, Regii ordinis Eques, Regis Consiliarius, & in arce Maritimâ Rupifortensi Anatomes & Chirurgiæ Professor Regius.

Proponebat Parisiis FRANCISCUS PORTIER, Lavallæus-Cenomanensis, Doctor Medicus Andegavensis, necnon saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus. A. R. S. H. 1762.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1762.